

*ejus interpretationem, ea pertinent ad Fidem. Ergo eadem oportet in eâ contineri.*

Huic argumento respondemus concedendô antecedens, (cùm maxima ejus vis videatur hic spectare Scripturæ perfectionem, ut ex consequentiæ probatione patet: posset enim aliàs negari, quòd ad perspicuitatem attinet, videlicet, quæ diximus suprâ cap. 11. §. 6.) & negandô consequentiam; Ad cujus deinde probationem dicimus ex distinctione de Rebus fidei in præcedentis Argumenti responsione allatâ; quòd, si per *quæcunque ad fidem pertinent*, ea intelligantur dogmata, quæ ad salutem scitu necessaria sunt, quorum duntaxat respectu etiam Scriptura perfecta à Reformatis asseritur, concedamus *Majorem*; At negemus *Minorem*. Non enim in horum censum, *quæcunque ad Interpretationem Scripturæ necessaria sunt*, nedum ipsa Interpretatio referri potest, ut jamjam in superioris argumenti refutatione à nobis ostensum est. Sin verò ea intelligantur, quæ quoquò modò ad Fidem spectant, atque eò reduci queunt, concedimus contrâ *Minorem*; At negamus *Majorem*, utpote nec à Chamierò, nec ullò cum ipsò faciente Theologò, eò sensu probatam.

Tertium, *Si interpretatio Scripturæ debet fieri secundum τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως: Ergo & secundum Scripturam. At prius verum: Ergo & posterius.* Argumentum hoc denuò est Chamieri loc. cit. §. 4. atque *Antecedens* ait *patere ex Paulò ad Romanos 12, 6. Habentes diversa dona, pro gratiâ, quæ nobis data est: sive Prophetiam, prophetemus κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως, secundum proportionem fidei.* Cujus loci sensum (aliorum interpretationem rejiciens, nempe *ut juxta proportionem fidei suæ, id est, pro mensurâ fidei, quam quisque habet, teneat etiam suæ revelationis modum*) hunc longè sibi videri dicit *accommodatiorem, ut quisque in Prophetandò, id est, inquirendò arcana doctrinæ laboret, ut meminerit semper proportionis fidei, id est, doctrinæ de fide.* Consequentiam verò *vix opus habere illustratione, nisi contra Papistas, qui Regulam Fidei* (hanc etiam per fidei analogiam intelligit) *perverse interpretantur, ut comprehendat non scriptas Traditiones.* Alii verò Theologi ex hòc Pauli locò, non argumentum, sed Regulam seu medium Interpretationis conficiunt, in hunc modum: *Dirigenda atque exigenda est omnis Scripturæ interpretatio ad analogiam fidei.* Analogia verò fidei ipsis est constans & perpetua Scripturæ sententia in apertis, & minimè obscuris locis, unde primaria Religionis Christianæ dogmata petuntur, quorum summa comprehenditur in Symbolò Apostolorum, Decalogò ac oratione Dominicâ, quæque in totò Catechismò traduntur. Vide Whitaker. in Disput. de Scripturâ Sacrà; contra hujus temporis Papistas. Controv. 1. Quæst. 5. cap. 11. med. 7. Scarp. Curs. Theolog. loc. de Sacrà Scriptur. Regula 9. secund. gener. Polan. Syntagm. Theolog.